



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Secunda Conclusio. Dans poculum amatorium ad malum finem, si ex eo mors sequatur, quomodocumq[ue] sit compositum tale poculum, punitur pœna mortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

QVAESTIO III.

Quæ sit pœna præbentis poculum amatorium?

VT huius quæstionis resolutio fiat, prænotandum: quod quando poculum amatorium præbetur; aut sequitur mors, aut non sequitur. Præterea aut tale poculum sapit hæresin, aut non. Tandem aut componitur ex naturalibus medijs, sine vlla arte diaboli: aut magica arte efficitur tale poculum.

Prima conclus. Quando poculum amatorium conficitur tali modo, qui sapit hæresin punitur pœna hæresis.

GRILLAND. in tractat. de Sortilegijs q. ii. Menochius casu 388. num. 4. Petrus Gregorius Tholosanus in 3. parte Syntagmatis iuris vniuersi lib. 34. cap. 12. num. 9. Ratio clara est: quia pœna sequitur naturam delicti, & eadem commensuratur.

Secunda Conclusio. Dans poculum amatorium ad malum finem, si ex eo mors sequatur, quomodocumq; sit compositum tale poculum, punitur pœna mortis.

Sic scribit Petrus Crinitus in lib. de Poëtis latinis cap. 19. quod Lucretius assumpto poculo

poculo amatorio ita furore percitus sit, vt propria manu mortem sibi intulerit. Et Plinius lib. 25. natural. histor. cap. 3. narrat de Lucullo, quod hausto poculo amatorio, vitam finierit. Dicta conclusio constat ff. de pœnis. L. Si quis aliquid ex metallo. §. Qui abortionis. vbi expressè decernitur, quod si mulier ex poculo abortionis, vel amatorio, aut vir pereat, vltimo supplicio dans afficiatur. Ibidem Bartol. Grilland. de Sortileg. q. 12. Damhauderius in practica Crimin. cap. 61. num. 88. Menoch. lib. 2. de arbitr. Iudic. qq. cas. 358.

Tertia Conclusio. Si quis arte malefica & magica animum hominis ad amorem illicitum deflectat, pœna vltimi supplicij punitur, etiamsi mors non sequatur. sistemus in d. L. Eorum.

PROBAT Grilland. q. ii. num. 7. Quia dicta L. æquiparat, quantum ad pœnas, illos maleficos, qui flectunt pudicos animos ad libidinem, & illos qui contra salutem hominũ moliantur, & statuit eos seuerissimis legibus vindicandos. Eandem Conclusionem docent Menoch. lib. d. casu 388. num. 5. & Petrus Gregor. loco cit. nu. ii. Ratio est etiam in promptu. Quia arte magica & diabolica vti, tam secundum legẽ diuinam, quàm ciuilem, capitale est vt infra latius patebit in L. Nemo Aruspicem.

Mm

Quar-